



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XLIII. Crucifigendi olim, & ad mortem crucis destinati priùs
acerbè flagellabantur, quod & Christo redemptori nostri accidit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XLIII.

Crucifigendi olim prius ante mortem
crucis acerbè flagellabantur, quod & Christo
Redemptori nostro accidit.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.
Jo. 19. 1.

1.

Jeremias Propheta innocentissimus, priusquam occideretur, pro
veritate prius acerbè flagellatus est: *Irati principes contra Jeremiam, Hier. 37. 14.*
casum eum miserunt in carcerem. Antequam innocentissimus Salva-
tor tuus ad mortem crucis damnaretur, ex mandato Pilati ini-
quissimi Romani Judicis ad columnam vinctus atrocissimè fla-
gellatus est: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit;* Cùm enim
adverteret iudex ille interessatus non posse piacari Judæorum furorè, *Jo. 19. 6.*
constituit insigni aliquà pœnâ animadvertere in dulcissimum Jesum,
ut hæc contenti mortem crucis non ampliùs urgerent.

Attende anime mi, quanto horrore DEUS tuus sit percussus, cùm
latà jam à Pilato flagellationis sententiâ, vidit confertam plebem ab
aula judiciaria, ut sit, ad locum supplicii concurrere. Interim tauri
pingues jam obsidebant eum; rugiebant catuli leonum ad prædam;
ululabant lupi ad agnum discerpendum.

2. Quæres, cur Christi flagellatio ita præter morem cruenta fu-
erit? Si Pilatum roges? ideò dicet, ut eâ ratione Judæorum animos
ad commiserationem excitaret: Si Patrem æternum, cur eam ipse
permiserit? ideò dicet: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Si Filium
Dei interrogo, quare tam dirè flagellari voluerit? Respondebit: *Pro- 1. Reg. 18 3.*
batio dilectionis exhibitio est operis. Diligebat Jonathas David quasi ani-
mam suam, & quid fecit? *Expoliavit se tunica, quâ erat indutus, & dedit*
eam David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium, & arcum suum, & us-
que ad balteum. Diligebat animam tuam JESUS, verè dulcis Jonathas,
quem amorem præcipuè patefecit in flagellatione, dum nostri gratiâ
vesti-

X 2

vestibus denudari voluit, & arma reliquit, quia non restitit hostibus suis potentia sua, sed permisit se usque ad sanguinis per totum corpus profusam distillationem caedi, ut ejus sanguine spiritualibus morbis sanaremur: Audi S. Augustinum: *Agnosce homo quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantum redemptionis tuae dignitatem perspicias, ipse tibi peccandi pudorem indicito.*

S. Aug. serm.
114. de Temp.

Jo. 3. 16.

3. Placeat immensum hunc & Patris & Filii amorem egregia aliqua S. Augustini similitudine explanare; hic Sanctus Pater ubi illum sacri Evangelii textum: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, emphaticè explicare voluit, dixit: *Hoc sic*, inquit, tantumdem esse, ac si maximi cujusdam Principis servus magnis febribus aestuaret, nullumque aliud ad ejus sanitatem remedium superesset, nisi balneum ex sanguine Filii Principis, Pater tunc (servi salutem consulens) Filium totius regni unicum heredem traderet, venas incideret, sanguinem universum eliceret, vitamque privaret. Talis fuit erga nos aeterni Patris dilectio, qua ut servos pristina libertate ac sanitate donaret, unigenitum Filium suum tradidit, ut flagellis totus à capite ad pedes usque caderetur, & sanguine totus aspergeretur, de mox totus fundendus spinarum, & clavorum aculeis, incisis venis, quo peccatorum sordes abstergerentur, & vulnera sanarentur. Quod expendens S. Gregorius merito exclamat: *O mira charitatis dilectio, ut servum redimeres, ritum tradidisti*, flagellandum, inquam, & crucifigendum. Hic

Matth. 20. 19.

Salvator ipse hac de se aliquoties prænuntiavit: *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

Isa. 53. 5.

4. Quot autem, qualibusque flagellis Dominus noster caesus fuerit, refert S. Vincentius serm. de Passione: Primò, inquit, Dominus noster flagellatus est spinis & vepribus acutissimis; Secundò flagellis aculeatis; Tertiò catenis hamatis. Unde S. Chrysostomus super illa verba Isaia: *Disciplina pacis nostra super eum*, dicit, quòd ista disciplina fuerit triplex, dura, quia virgis, & spinis: durior, quia flagellis nodatis: durissima, quia catenis ferreis.

Mal. 128. 3.

Hanc acerbiter flagellationis, & vulnerum ex ea profunditatem charissimè prænuntiavit Propheta Regius, dum in Reparatoris nostri persona dixit: *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, proloquerunt iniquitatem suam*. Et cur, dices, hic sacer vates acerbissimam Christi flagellationem sub fabrica metaphora expressit? R. Hoc appositè factum esse: Ut enim in fabrica construenda lapis super lapidem, cimenta super cimenta componuntur: Ita in Christi flagellatione plaga super plagam, vulnus super vulnus, livor supra livorem infligebatur; unde idem Vates: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

5. Qua-

5. Quare insuper Christus tam crudeliter flagellatus fuerit, primaria causa fuit diabolus, qui jam ab initio, & in ipso Empyreo caelo capitalissimus Christi hostis fuit, semper ipsum in hac vita persecutus, unde & tempore mortis illius appropinquante, procuravit, ut atrocissimè flagellaretur, ut per hanc flagellationem mortem crucis impediret: *Cum paranda esset crux, ait S. Ignatius, tumultuabatur, & S. Ignat. M. immisit penitentiam proditori, & suspendium docuit. Terrebat & mulierculam ep. 8. ad & uxorem Pilati, turbans eandem in somnis, & ut crucifigendo cessarent, Sa- Philipp. tanas moliebat, qui prius omnem lapidem moverat, ut eadem crux pararetur, quia sentiebat suam perniciem &c.*

6. Recordor hic illius Samsonis fortissimi Nazaræorum captivi, *Judic. 16. 29.* captique oculis Philistæis in fano ludentis; Et ne ulterius inimicis suis foret ludibrio, columnis duabus, ad quas utrâque manu adhæserat, fortiter concussis, petiit animæ suæ, ut moreretur; dummodò per hanc ruinam hostibus nocere posset, eosque opprimere, & sic plures moriens, quam ante vivens interemit.

Non sic noster Nazaræus Christus captivus, & ad columnam marmoream nunc alligatus, licet virgis viridibus ac spinosis, dein loris nodosis filo ferreo intextis, denique catenis à sex carnificibus atrocissimè flagellaretur, non tamen inimicis suis malè precatus est, sed pro omnium salute oravit, ac patientissimè istas pœnas sustinuit. Ecce quantum sint malum peccata tua, quæ remedium habent adedò violentum. Christus pro te sic affligit carnem suam innocentem, & tuam tam molliter tractas nocentem? Eat nunc quis, & interroget: *Quare, ô Jesu! rubrum est indumentum sicut calcantium in torculari? Et di- Isai. 63. 2. cec: O homo! en aspersus sanguis peccatorum tuorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea sceleribus tuis contaminavit. Unde rectè exclamat Rupertus Abbas: Spectaculum grande mundo, Angelis & hominibus, ut à servis peccati Princeps libertatis servilibus modis, flagellis- que caderetur.*

7. Ut Christus dilectos discipulos suos ad perfectiorem animaret patientiam, illis prædixit: *Si quis percusserit in dexteram maxillam tuam, Matth. 5. 39. frabe illi & alteram.* Domine JESU! quare tu ipse de unius maxillæ percussione conquestus es, & non exemplo tuo confirmasti, quod prius verbo docueras: *Quid me cadis?* En locutus est Dominus ad alampam, qui ad flagella & spinas, ad clavos & crucem semper siluit? *Egregie S. Augustinus: Cùm Christus, inquit, ad columnam esset S. August. 1. 1. r. alligatus, totusque expositus, non erat opus, ut alteram maxillam per- de serm. Dom. cutienti obverteret, cùm jam totum corpus, & se ipsum tradidisset, & in monte.*

in manu judicis esset paratus opprobriis quibuslibet saturari; unde per

Isa. 50. 6. *Isaiam dixit: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Attende hæc verba & invenies, non alteram tantum maxillam percutienti præbuisse, sed utramque, imò se totum.*

8. S. Paulus excepit contra sententiam injustam, & appellavit ad
Act. 22. 35. *Cæsarem: Cum astrinxissent eum loris, dicit astanti Centurioni Paulus: si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? Non excepit Christus contra sententiam injustissimam, licet tanquam Dei Filius hoc privilegium potuisset prætere, sed generoso animo dixit: Quoniam infligella paratus sum. Audi pro coronide hujus considerationis S. Augustinum, qui refert, quòd in ista dirissima flagellatione Filii Dei unus militum diritate suppliciorum licetorum motus, accurrerit, & in clamaverit: *Nunquid interficietis eum non judicatum?* Et ubi hæc dixit, vincula, quibus ad columnam stringebatur, præsecuit; ad quod pientissimus Iesus prolapsus in terram, in proprio sanguine volutus est, imò & pedibus impiorum proculcatus; ita devotissimus Justus Orgelitanus in caput. Canticorum supra illa verba: *Botrus cypri dilectus, sic inquit: Christum in modum botri conculcaverunt, & sub pedibus presserunt.* O anime mihi, dum Iesum pro te sic flagellatum cogitas, noli imposterum corpus tuum tam molliter & delicatè tractare.*



CONSIDERATIO XLIV.

Consideratur Crucifixus JESUS, quare cum corona spinea in cruce vivere, & cum ea mori voluerit?

Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.
Jo. 19. 2.

I.

Benignissimus DEUS & univerforum Dominus, ubi populum suum de tyrannide & gravissimo Pharaonis jugo liberare voluit, non dedignatus est Moyse servo suo in spinoso & ardente rubo apparere, ad quem dixit: *Vidi afflictionem populi mei* ---
descen-